



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Ad Evangelium. De cæna in Bethania, Ante sex dies Paschæ, vel quidvis  
aliud sancto tempori opportunum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

III. PUNCTUM.

judicandum, cuius est data vel negata potestas; sicut enim quando quis debet & potest agere, signum est Deū velle ut agat sic quando non potest, manifestum est iudiciū, quod  
 1. Cor. 10. Dens nolit. *Fidelis Deus*, inquit Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Item que alibi, *Quemadmodum promptus est animus voluntarius, ita sit & perficiendi, ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet*; id est, hoc tantum ab unoquoque requiritur, quod ipse potest, non quod non potest, *unicuique sicut Dominus dedit*, ait expressè Idem.

Quamobrem liquide patet, quod, qui plura, quam possint, volunt pro Deo facere, volunt quod non vult Deus, qui nihil ab unoquoque vult, nisi quod quisque possit. Et cum non faciunt quod possunt & debent, nolunt quod vult ab eis Deus, qui dedit posse quæ præcepit. Ac proinde quis non videt eos aliter atque aliter velle servire Deo quam ipse velit? Et quidem tam obfirmatè volunt, ut nõ semel duntaxat Divinæ repugnent voluntati, negando quæ ipse vult; sed rursus eidem repugnant, cum illud etiam velint, quod non vult Deus; quasi melius norint, quid sit acceptum & gloriosum Deo, quam ipse Deus norit, *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini: aut placebit ei, quem celare nihil potest: aut decipietur ut homo vestris fraudulentiss?* Sic aptè Iob.

**I**mpietatis ergo genus est, pietatis cultoribus valde cavendum, cum plura volunt quam possint facere; & qua possunt non faciunt. Sic enim aliter Deo servire volunt quam ipse velit, quod est omnino impium. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* Saltem, si illi, quod possunt, facerent, forte desiderium illud plura faciendi quam possunt, non esset malum: sed cum non faciant quod possunt, & quod sciunt se debere facere: profectò quidquid appetunt plus quam possunt, non propter Deum appetunt, cui si servire & magis placere vellent ex animo, non illud negligenter omitterent quod possunt. *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* quasi diceret, quid à me plura petitis, cum non ea faciatis quæ scitis?

Vide hic in quo deficias: quam multa possis cum Gratia, quæ non facis! quam falsò & fraudulentè sub quadam specie pietatis plura desideres quæ non habes! Renuncia his vanis desideriis, Accepta tam libenter privationem negatæ potestatis, quam libenter data usum exercetis: paratus esto ad majora per fidem minorum curam, & diligentem officii tui administrationem; *Sic omni habenti dabitur & ibid. 14. abundabit. Denique labora sicut bonus miles 2. Tim. 2. Christi Iesu. Bonus miles non sibi locum dat pugnae, sed datum servat, & dum in illo servando pugnat & laborat, meretur palmam & locum insigniorem.*

PRO EADEM FERIA QUADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Coena in Bethania, ante sex dies Pascha. Ioan. 12.

De hac Coena, & de odoriferis Magdalenæ unguentis, In 4. parte, Feria 3. hebdomadae 26.

Verum si quid aliud à Domini Verbis hic expositis considerandum aut dicendum vellet, hac sancta hebdomada, consultius foret

illud ex internis Christi doloribus supra declaratis, vel ex aliquo passionis morali mysterio desumere; semper id spectando, ut cum, tibi tum aliis, emendatiorem vitam persuadeas.

FERIA